

IN ALTERA Numismatis parte est Imperator thorace variis ornamentis expolito, & paludamento indutus : stat in suggestu concionaturus militibus. A tergo illius est Tribunus militum loricatorum & paludatus. Ante eum legio militum loricatorum, & scutatorum, quorū vnus Aquilam, alius Labarū signa militaria, alius verò equum Imperatoris tenet, cum inscriptione: FIDES MILITVM. S. C.



SERGIUS GALBA SVLPITIVS, pater Sergii Galbæ Imperatoris, breui corpore, atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis, vir consularis, causas industriè actitavit. Vxores habuit Numiam Achaiam, & Liuiam Ocellinam diuitem admodum, & pulchram, à qua tamen nobilitatis causa appetitus vltro existimatur, & aliquantò enixius, postquàm subinde instanti vitium corporis secretò, posita veste, detexit, ne quasi ignaram fallere videretur.



NVMIA ACHAIÆ neptis Catuli, proneptisq̃ue L. Mummi Achaici, qui Corinthum excidit. Ex hac C. & Sergium Imperatorem procreauit Galba. Maior Caius attritis facultatibus, Vrbe cessit, prohibitusque à Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit.